

Conciliat pretium! Charitas mihi pangere carmen
 Aggresso fingens nescio quas subito
Adstare, atque manu certatim fingere crinem,
 Et dare de verna mollia ferta rosa;
 Ora Jocos circum interea volitare pudicos.
 Quas ego juratus dicere non dubitem,
Tam Charitasque, Jocosque omnes a me procul esse;
 Quam procul est muris Felsina Romuleis,
 Felsina quæ Charitas cunctas sibi vindicat uni,
 Quæ cunctis cunctos surpuit una Jocos
 Atque tua, atque tui rara virtute Zanotti,
 Quem tu, blande, tui carminis illecebra
 Induxti pulchre in fraudem, si vera putavit
 Isthæc de nostro callidus ingenio,
 Quæ dixti me æquans Rogero scilicet illi,
 Illi terrarumque orbis, & astringeri
 Menfori egregio, niveis qui nempe quadrigis
 Me tardum, ac segnem flammeus antevolat;
 Cui me qui confert, possit viburna cupressis
 Conferre, aut colles montibus aeriis.
 Ipse virum novique, & miror pectore toto,
 Atque mihi multis partibus antefero.
 Quamquam nec studiis Musarum scita Mathefis,
 Lineolas nec, queis omnia mirifice
 Conficit, ac pandit naturæ arcana latentis,
 Pieridum sacris cantibus antefero.

